LACRYMÆ,
AD TUMULUM
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMIQ;

DNI. ANDREÆ MEISNERI,

Reip. Patriæ Consulis Optimè Meriti, Susceptoris sui desideratissimi,

A. O. R. *M. DC. LXXXIV.* d. 2. Nov.

Ipso scilicet exeqviarum die,

Effusæ

ab

ANTONIO Baumgarten/ & JACOBO FELDTNER } *Thor. Pruss.*

THORUNII Typis excudit CHRISTIANUS BEKK, Gymn. Typogr.

SCAZON.

ECqvis nefandus turbo rursus excitat
Tristes qverelas, qvis novos iterum ciet
In Urbe planctus? Magnus est sanè dolor,
Correpta qvo Patria ingemit, satis gravi
Oppressa luctu, lacrymis oculos rigans.
Cur vestra pallent ora Cives? qvid notat
Effusus imbre per genas largo liqvor?
Eheu malum certè subest hîc maximum!
Et augurat si vera mens, istos movet
Planctus acerba mortis inclementia.
Hæc forte rursus, ut solet, falcem suam
Immisit immitis Patres in Inclytos:
Hæc forte in Horum unum suas sævè manus
Injecit, atro sustulitq; funere.
Sic est: Verendum Consulem, meritis Gravem
Clausisse, famâ constat, ultimum diem.
O invidam mortem, afficit qvæ cladibus
Ad ipsa cordis ima descendentibus
Hominum genus miserum! Diu qvi debuit
Vivere, nimis repente morte mergitur.
Effluxit haud spatium duorum mensium,

Dum

Dum nostra squalebat pari luctu domus,
Vitaq; cederet ter Optimus Parens;
Densentur ut funeribus atra funera,
En jam qvoq; alter Patriæ moritur Pater.
Sic jam tacebit illud os, qvondam suæ
Consilia qvod laudanda sæpe Patriæ
Explicuit. Exarescet illa lingva, qvæ
Præstare jura civibus consveverat.
Sic Candor & Fides sepulchro conditur.
Virtus tamen stabit, mori qvæ nescia
Tanti VIRI tuebitur memoriam.
Ergo qverelas lugubres jam mittite,
Exulcerat qvorum dolorem mors cita
Tanti VIRI. Nam vivit Ille, nec mori
Poterit, suus virtuti honos dum habebitur.
Et vos relicti à lacrymis desistite,
Nec fletibus nimium rigate lumina.
Qvæ namq; in his terris Parenti gaudia
Fuère vestro? nullius jam conscius
Mali, laborem perferens nullum, accipit
Translatus in cœlos beata gaudia.

Effusos lacerat tristis mea musa capillos,
MEISNERUM ut vidit succubuisse neci.
Tundit & adductis mœstissima pectora palmis,
Fletq; per indignas imbre cadente genas.

Qvalis

Qvalis in Eridani proles Stheneleia ripis,
Conqveſta eſt planctu, Te Phaëtonta, ſuo:
Sic ululat, corpus lacero velataq; amictu
Immiſcet lacrymis triſtia verba ſuis:
Ecce gravem pietate Virum, gravitate piumq́,
Mors gravis à nobis in cava buſta trahit.
Verùm qvid multo juvat indulgere dolori?
Cùm, qvæ lugemus funera, fata probant.
Sic Domino viſum eſt, ut Te MEISNERE vocaret
E mundo ad pulchri tecta beata poli.
Deſinis haudqvaqvam, dum deſinis eſſe, ſed axe
Imples perpetuis pectora læta bonis.
Utere ſorte Tuâ, ſupereſt in pectore noſtro
Tempore perpetuo Nomen Honosq; Tuus.
Non Tua deſertis cum corpore clauſa ſepulchris,
Merſaq; Letheis fama peribit aqvis.
Sed magis Arctoas ſplendebit ſparſa per oras,
Ut radii ſplendent, lucide Phœbe, Tui.